



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De quatuor tentationibus. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

soli Deo est manifesta. *Ier. 17.* Ego Dominus scrutans corda & probans renes. Iustum iudicium est, quando inexcusabilibus coniecturis aliquid discernitur esse malum, vel quando ipse actus est in se malus & illicitus: ut cum video aliquem hominem occidere iniuste: vel tales conatus ad peccatū, qui semper sunt illiciti & incongrui. Quartum in quo cauti debent esse nouitij est, ut non frangantur aduersitate vel tentatione, sed cogitent quia ad hoc uenerunt, ut omnia que eis in hac uita possunt accidere, sustineant propter Deum: sicut qui intrat bellum, scit quod non quietem & delicias, sed laborem & vulnera oportet eum expectare. Vnde & in *Ecclesiastico cap. 1.* Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore; & p̄para animam tuam ad tentationem. deprime cor tuū & sustine. *Act. 14, 21.* Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. *Luc. 26.* Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Ergo aduersitas est uia ad regnum Dei. & qui recusat uiam, recusat ad regnum peruenire.

Indicium  
iustum.

Quarta  
cautela nō  
frangi ali-  
qua aduersi-  
tate.

### *De quatuor tentationibus.*

#### CAP. I I.

**T**ENTATIO autem quadruplex est, quasi quatuor uenti à quatuor plagis flantes, qui mouent tempestates in hoc mari huius seculi, & nauem cordis quassant & iactant fluctibus. A carne, à mundo, à diabolo, & Deo procedunt tentationes. Primò à carne tentamur, quando naturalibus uitiorum motibus ad peccandum sollicitamur: ut cum luxuria uel gula nos tentat. Item à carne tentamur, quando delicata caro nostra horredo labores retrahit nos, ne in studiis spiritualibus & uirtutum

Tentatio à  
carne.

K

con-

conatibus sicut expedit exerceamur. Et sic dupliciter impugnat nos caro, dum aut appetit mala, aut retardat ad bona. Licet autem ira & invidia & inanis gloria non videantur esse in carne, sed in spiritu, tamen à carnis corruptione trahitur corruptio spiritualium affectionum. Et licet dicatur quòd dæmones huiusmodi vitia suggerant hominibus; tamen nos habemus tentationum materiam intra nos: ut etiam si non adessent dæmones, ipsa tamen concupiscentia nostra pateret peccatum si ei consentiretur. In nobis est omne quo peccamus. Cogitationes enim & mētis affectiones, & voluntates, & membra corporis nostri, illa sunt quibus meremur & demeremur. Ista dedit nobis Creator quasi quædam instrumenta virtutum, quibus bona opera faceremus, & mansiones nobis in celo ædificaremus, & ipsi Creatori nostro militando per ea quasi armis muniri hostem nostrum diabolum impugneremus. Ipse verò diabolus contra nos inermis est: & solis astutis suggestionibus nos impugnat, suadendo ut peccemus, non cogendo. Benignus enim Conditor noster non dedit hosti nostro posse nos vi ad peccatum impellere: quia nimis fortis esset contra nos fragiles, & vix possemus sine peccato subsistere: sed tantum permittit eum nobis mala suadere. In nostro autem arbitrio est, si velimus ei cōsentire. Insuper præmunit nos ponens inimicitias implacabiles inter serpētem & hominem: ut quicquid suaderet nobis, non reciperemus quasi utile, scientes quòd nunquam dabit nobis fidele consilium tam crudelis inimicus noster, cui nihil sufficit de nobis citra æternam damnationem nostram. Cùm ergo suadet nobis peccatum, quodammodo exigit à nobis ut præstemus ei arma nostra quibus nos occidat: vel

In nobis  
est omne  
quo pec-  
camus.

Hostis no-  
ster in-  
ermis est, &  
nos cogere  
nequit.

Gen. 3, 15

vel ut ipsa arma si ei præstemus, hebetet & retundat, ut nobis minus apta fiant & utilia, & minus acuta & efficacia ad ipsum per ea impugnandum. *Verbi gratia:* Cum immittit nobis cogitationes peruersas, & suadet ut malum faciamus vel loquamur, nonne quasi aperte videtur homini dicere, Inermis sum ego contra te, non habeo unde te laedere possim. nisi tu præstes mihi arma tua ut te vulnerem & occidam? Præsta ergo mihi cor tuum ad prauas affectiones vel cogitationes malas, linguam ad loquendum iniqua, & manus & alia membra ad actiones & opera praua, quibus lethale vulnus in anima accipias, & gratiã Domini Dei tui perdas, & gloriã cælestis merito spolieris. *Ad Rom. 6.* Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Stultus verò est qui ei consentit ad hæc damna sua: & sibi met imputet potius quàm inimico suadenti, qui more hostis hostiliter secum agit. *Mundus* etiam dupliciter tentat nos: siue offerendo nobis ea quibus ad se alliciat, scilicet honores, diuitias, voluptates, curiositates, adulationes & huiusmodi: siue quibus nos terreat, ut persecutiones, contumelias & similia. Vtroque modo multos tetrahit à Deo, quos aut amore sui aut malo timore retinet in peccato. Diabolus verò licet in omnibus tentationibus incensor soleat esse, tamè specialiter duabus tentionibus infestat nos, & maximè magis probatos in seruitio Dei; cum aut fidem veram conatur nobis auferre, & spiritu blasphemix subvertere. Et huiusmodi cogitationibus nos infestat quas naturaliter abhorremus, ut desperatione, vel nostri occisione & similibus: licet quandoque & aliis ex causis ista proueniant: aut cum

Tentatio  
mundo.Tentatio  
diabolo.

Nones

mala sub specie boni persuadet: quo improvidos, quos aliter non potest decipere, callidè supplantet, & à bono deiciat. Et hoc est quod in Psalmo dicitur, Dæmonium meridianum. vel iuxta Apostolum, Angelus satanæ qui transformatur in Angelum lucis. quia cum sit princeps tenebrarum & auctor malorum, ut astute noceat simulat se bona docere & quasi lumen ostendere; ut ad tenebras peccati perducatur.

*Psal. 90, 6*  
*2. Cor. 11,*  
*14.*

*Tentatio à*  
*Deo.*  
*1. Tim. 2, 4*

Deus autem nunquam tentat in malo, quia non lætatur in perditione nostra, qui omnes homines vult saluos fieri. Sed tamen dicitur quandoque tentare aliquos, cum aut flagellat eos in presenti ad profectum eorum, & aliorum exemplum; sicut Iob & Tobiam: aut cum probat eos aliquibus arduis virtutum exercitiis; sicut tentavit Abraham, iubens eum immolare unigenitum suum, heredem diuinę re-promissionis: ut ostenderetur magna deuotio obedientię Abraham, & fidei ad Deum: quia nec hoc modo hæsitauit de eius promissione, quin impleret etiã de occiso, sicut pollicitus erat ei.

*Gen. 22, 1*

*Gen. 4, 20*

*Tentatio-*  
*nes quo-*  
*modo vin-*  
*centur.*

Harum tētationum oportet nos quosdam maxime resistendo superare: ut spiritualia vitia, scilicet iram, acediam, superbiam, & inuidiam: quosdam verò fugiendo melius euadimus quam pugnando: ut luxuriam, gulam, auaritiã: licet etiam pugna contra eas sit necessaria. Sed tamen non est tutum diu cohabitare serpenti: nam multo tutior est castitas longè à mulierum frequentia semota, quam in medio earum. Facilius etiam abstinemus à delicatis cibis & potu vel ab eorum superfluitate quando non videmus nec habemus, quam cum eis abundamus: & qui omnia reliquit propter Christum, & voluntariam paupertatem elegit, minus infestatur à curis auaritię, quam qui retinet diuitias seculi, semper anxius quomodo

modo eas augeat & seruet. Spiritualia autem vitia etsi quandoque ex fuga videantur quasi remissius & rarius infestare, dum deest occasio impugnandi: tamen postea orta occasione durius ferire solent; sicut leo diu catenatus amplius fremit cum fuerit emissus. Tentationes verò contra fidem & de spiritu blasphemiam & similes, nec fugere possumus, nec repugnando vincere: quia quanto plus indignamur nobismetipsis & disputamus cum eis, tanto magis refricatur earum rabies & accenditur. Sed nec curandæ sunt nec timendæ: tantummodo non consentiatur eis, & patienter earum infestatio quasi quoddam diabolicum susurrium supportetur, quod aliter compesci non potest. Non solent bonis periculosa esse tales tentationes, sed sunt sæpe prælagia futuræ amplioris gratiæ & consolationis, & vitiorum purgatrices, & magni meriti operatrices. Diuinæ verò castigationes humiliter & patienter tolerandæ sunt, & iussionibus eius deuotè obtemperandum est: ut & fortes simus in fide, & à mandatis eius nunquam declinemus. Possent etiam plures tentationum species inueniri à studiosis, sed ad præsens ista sufficiant. Sunt tamen quidam qui sibi metum texunt laqueos tentationum priusquam tentator accedat, & quodammodo procurant sibi vnde tententur: ut qui spontè cogitationes prauas versant in corde. Et hæc sunt intantum valida, quòd postmodum in delectationem versæ & roboratæ difficulter expelluntur. Item illi qui familiaritates incautas seminarum admittunt, quarum affectus ita imprimuntur cordi, ut vix postea euellatur: & ita de similibus. Aliqui sibi metum assumunt materiam vnde postea occasionaliter oritur eis turbatio & tentatio periculosa. Quidam verò non habentes

Tentationes blasphemiam non curandæ.

Suspicionem generationes generat.

150 S. BONAVENTURAE  
somniaſt ſibi met tentationis procellam. & hoc  
fit aliquando inter imperfectè bonos, inter  
quos fit turbatio & contentio; non de radice  
malitiæ, ſed ex ſola vana ſuſpitione, dum vter-  
que nullius odij ſibi conſcius eſt aduerſus alio-  
rum, nec intendit eum in aliquo lædere: ſed  
ſuſpicatur alterum erga ſe inuidia ſtimulatum  
incedere, & ei inſidiari, cum tamē hoc in nullo  
recolat ſe erga eum meruiſſe. Ille verò econtrà  
nihil ſibi conſcius de his cōqueritur, quòd iſte  
ſibi iniurietur ſine cauſa: & incipit etiam ipſe  
facta alterius ponderare, quaſi aduerſarij ſui:  
& ſic vterque inflammatur odio contra alio-  
rum, cum neuter voluerit lædere: ſed tantum  
ſuſpicatus ſit, & vanè, quòd alter alterum vo-  
luerit lædere ſine cauſa. Et ita quandoque gra-  
uis turbatio oritur de modica ſciotilla, diabolo  
eam ad magnum ignem rancoris & odij con-  
flante. Qui ideo imperfectè boni dicuntur:  
quia in eo ſunt aliquatenus boni, quòd non in-  
tendunt proximo ſuo malum facere: & in eo à  
bonitate deſciunt, quòd nimis proni ſunt de  
alio malum ſuſpicari ſine cauſa ſufficienti: &  
in eo efficiuntur minimè boni, quòd ex qua-  
cunque cauſa ad odium contra fratrem & pro-  
ximum prouocantur.

*De tribus generibus religioſorum.*

CAP. III.

**T**RIA ſunt autem genera religioſorum.  
Primi boni, ſecundi meliores, tertij opti-  
mi. Hi ſignantur per tres familias Leuitarum,  
Gersonitas, Meraritas, Caathitas, qui præ  
cæteris filiis Iſraël deputati erant ad cultum  
ſanctuarij, ſicut religioſi præ cæteris fidelibus  
in Eccleſia ſpecialiùs videntur diuino cultui  
mancipati, differentes tamen habentes dona-  
tiones

*Num. 4.*